

1280 Oktober 9.

[3

Bischof Conrad von Osnabrück verleiht der Kirche zu Riesenbeck die zu ihrer Beleuchtung durch die Pfarreingegebenen vom Ritter Alexander von Langen gekauften Behuten.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Conradus miseratione divina Osnaburgensis ecclesie episcopus universis Christi fidelibus hanc litteram inspecturis salutem in salutis auctore. Perutile nobis visum est et ratione consentaneum ea que rationabiliter fiunt et ex fonte procedunt karitatis, ne fluxu temporis in oblivionem transeant cum tempore, litterarum testimonio commendare. Hinc est, quod tam futuris quam presentibus notum esse volumus, qualiter universi parrochiani de Rysenbeke salutis animarum suarum intendentes verum etiam Bertoldo sacerdote eorum ipsos inducente decimam quandam duarum domorum ab Alexandro dicto de Langene milite de consensu Amelgardis uxoris sue et heredum suorum titulo emptionis ad honorem Dei et gloriose virginis matris sue Marie et beati Kalixti patroni suorum comparabant ecclesie sue in Rysenbeke ad usum luminarium tam diurnum quam nocturnum, quibus nimis indigni, pro remedio peccaminum suorum conferendam. Nomina domorum et pensio earum sunt hec: Domus Hermanni de over A duos solidos, domus Wigmanni de Horsthus (Gorßmann bei Hörstel?) viginti et octo denarios. Pensio hec in festo beati Matthei apostoli et ewangeliste est persolvenda. Nos igitur pia vota predictorum parrochianorum pie complectentes, considerantes etiam, quod commodis et utilitatibus ecclesiarum nostre dyocesis ex officio pontificali tenemur intendere, decimam ipsam cum omni iure et proprietate ecclesie in Rysenbeke contulimus quiete et pacifice perpetuo possidendam. Igitur ne aliquis hominum collationem nostram valeat infringere, presentem cartam sigilli nostri impressione fecimus communiri. Acta sunt hec anno Dominice incarnationis M^oCC^oLXXX^o in die beati Dionisii martiris. Huius rei testes sunt: Otto nobilis vir comes in Thekeneburg; Rodolfus de Langene, Gozwinus dictus Kiselinch, Godescalcus dictus Buddo, Hermannus dictus Kiselinch, Gysebertus de Stricket milites; Gerhardus dictus Sterte, Werenboldus de Horstelo, Theodericus de Horne, Johannes dictus Kiselinch, Henricus de Stricket et Conradus frater ipsius, famuli; et alii quam plures.

Orig. Siegel ab.

II 1. D 57/52